



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1514. usque ad annum 1520

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1769**

**VD18 90118464**

§. 20. Apologia Erasmi contra turbas ex hac epistola suscitatas

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66414](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66414)

Sæcul. XVI.  
A.C. 1519

§. XX.

*Apologia Erasmi contra turbas ex  
hac Epistola suscitatas.*

*Epist. l. 12.  
ep. 1. l. 14.  
ep. 1.*

Quamvis Epistola adeo Christiana ingentem Erasmo laudem conciliare debuisset, ex adverso tamen eadem plurimum Doctorem invidiam suo Auctori comparabat, nam hi accusabant eum, quod cum Lutero conspiraret, junctisque cum eo viribus Ecclesiam invaderet. Prodiit, queritur Erasmus in epistola ad Cardinalem Campegium, nescio quibus avibus, opus Martini Lutheri, auctor mihi tam ignotus est, quam qui omnium ignotissimus, librum nondum perlegi, & tamen initio meum esse dicebant. Si favi Lutero, bonis illius favi, quæ in illo vel videbam, vel esse credebam, imo non illi favi, sed gloriæ Christi, & tamen in eodem videbam, quæ mihi nonnullam sollicitudinem ac suspicionem inculcerent. Et qua fronte, subjungit Erasmus, ego primum ignotus, deinde nulla prædita auctoritate, dein nimis quam tenuiter doctus sumpsissem in Lutherum supercilium censorium, aut quæ spes fuisset illum laturum me, aut qui fructus expectari poterant, nisi ut hominis stylum in me acuerem objurgando. Nec eram ignarus, quanto plus soleamus proficere civili blandaque admonitione, quam objurgatione sæva, hinc admo-

admonui eum, ut ad exemplum Christi & Sæcul. XVI  
 Apostolorum cum omni mansuetudine doce- A C. 1519.  
 ret ea, quæ ad veram pietatem attinent.

Utinam, scribit idem ad Petrum Barbi-  
 rium, tam immunis essem ab omnibus vitiis,  
 quam sum ab hoc Lutheri negotio alienus, L. 1. ep. 2.  
 non dubitarem vel citra confessionem emori.

## §. XXI.

*Epistola Saxonice Electoris Erasmum  
 ad Lutheri Sedam sollicitantis.*

Quantumvis Erasmus ejusmodi verbis  
 atque obtestationibus se a Lutheri  
 hæresi alienum tam aperte professus sit,  
 nihilominus plurimum studia eo erant in-  
 tenta, ut hunc virum ad suas partes per-  
 traherent; hos inter præcipuus erat Sa-  
 xoniæ Elector, qui datis ad eum literis,  
 quid de Lutheri doctrina sentiret, solli-  
 cite explorabat, eumque efflictim, ut  
 mentem hac super re aperiret, rogabat,  
 atque eodem tempore Erasmo significa-  
 bat, quod ipsi gratissimum foret, si non  
 modo hunc Novatorem, ejusque doctri-  
 nam commendaret, sed etiam sua ei stu-  
 dia addiceret. Attamen Erasmus utpo-  
 te vir prudentissimus, cum opiniones,  
 quas maturo nondum examine discussis-  
 set, amplecti nollet, atque aliunde do-  
 ctrinæ & unionis Ecclesiæ studiosissimus  
 esset, hæc duntaxat Electori rescripsit:

F f 2

Me